

AB
57012



№ 4010 *



1595 4

Theses Ethicae

Περὶ τῶν ἀκρῶν, ἐκρῶν, καὶ μίκτων, DE AC-
TIONIBVS INVITIS, SPONTA-
neis & mixtis, communissimis & genera-
lissimis virtutum omnium principijs,
iuxta institutum Philosophi in 3.
Ethicorum ad Nicoma-
chum.

Quas

D. O. M. A.

& Preside

M. CORNELIO MARTINO ANTVER-
pio, professore Logices publico, in illustri Iulia, ad
disputandum publicè proposuit,

Iohannes AEschardus Halberstadensis
Mense Septembri.


In auditorio maiori hora 6.

79



HELMAESTADII.

Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCV.





REVERENDIS, NO-
BILISSIMIS, ET CONSVL-
TISSIMIS VIRIS, DOMINO GE-
ORGIO AB HEILIGEN DECANO DIOE-
cesis Beatae Mariae quæ est Halberstadij dignissi-
mo; Domino D. Georgio Timer, Canonico e-
iusdem meritissimo, cæterisque Dominis Canoni-
cis, omnibus & singulis suis Mecœnatibus, pa-
tronis, & fautoribus, in debitam gratitudi-
nem, hæc de actionum distinctionibus,
virtutumque principijs consecrat
propositiones

V. R.

Deditiss. & addictiss.

Joannes Aeschardus H.

Respondens.

PROPO-

PROPOSITIONES
DE ACTIONVM, ET VIRTVTVM
PRINCIPIIS EX III. ETHICO-
rum Arist. ad Nicomachum.

Thesis I.

DE principijs Virtutum moralium verba facturus, probè ante omnia considerare debet; vnde tanquam à primo fonte omnis virtus moralis emanet, & in quibus postmodum subsistat; his etenim antea non præcognitis, de principijs virtutum, adeoq; omnium humanarum actionum, sanum verumq; iudicium ferri haud poterit.

2. Notandum igitur hoc primum venit animæ facultates esse duplices; vna enim rationis expers est; altera eius compos; illa aut rationi parere potest, quales sunt appetitus sensuum; aut rationi non parent, & naturales potius censendæ, puta vis vegetandi, nutriendi &c. de quibus posterioribus Ethicus nihil agit, sed de prioribus tantum videlicet appetitu sensuum.

3. Etenim appetitiones sensuum sunt tanquam subiectum & fundamentum, in quo fit omnium actionum, virtutumq; moralium concinna moderatio; recta enim ratio ceu princeps & dux, appetitum, qui aliàs in contrarium abit, omnibus perturbationibus fugatis, ad verum sui obsequium dirigit, & conformat.

4. Cum enim omnis virtus habitus sit, ea ipsa vt à mente seu ratione rectâ regitur, consideranda venit; omnis enim virtute prædita actio à ratione est, cui sapientiæ adminiculo coniunctum est verum iudicare, voluntatis id quod præ cæteris optimum videtur velle, consultationis tandem

beneficio & munere accuratam mediorum rationem habere, ea determinare, & appetitus sensuum aurigæ modo vt equos dirigere, & gubernare.

5. Virtus igitur summa est animæ conuenientia, voluntatis, & omnis appetitus cum recta ratione saluberrima, & moderatissima consensio, à qua omnes actiones quæ inde emanant laudabiles & rectæ; quæ repugnant iniquæ & iniustæ censendæ sunt, habita tamen circumstantiarum ratione.

6. Mentis igitur seu rationis potissimum hic habenda ratio est, quæ veluti imperator actionibus nostris vniuersis imperat, ijsq; dominatur, & à qua omnis virtus promanat: tum appetitus sensuum, in quo vniuersæ & singulæ virtutis actiones conformantur, videndumq; erit vt is quantum fieri poterit, cum recta ratione consentiat, & ab ea gubernetur.

7. Appetitus enim noster omnia quæ sibi videntur, appetit, quæcunq; minus, auersatur & fugit: recta ratione igitur opus est, quæ iubeat quæ appetenda, & quæ fugienda, dissuadeat; non enim in appetitu, sed in rectâ ratione bonorum & malorum discrimen iudicatur.

8. Sed & obiectorum ratione omnis actio examinanda est, quæ, quia vt plurimum variant, & cum appetitu non eodem modo conspirant, pro diuersitate nostri appetitus ex obiectorum diuersitate orti, etiam in agendo erit diuersitas; vnde principia illa virtutû, actionumq; nostrarum orta sunt, de quibus Aristoteles hic agit.

9. Et necessariò philosopho Aristoteli de his monendum fuit, vt etiam in frontispicio omnium suarum tractationum, quas philosophicas instituit, laudabiliter consuevit, tum vt virtutis, quæ in perturbationibus, & actionibus versatur, plenissimam inde cognitionem daret; tum

vt actionum omnium, quarum aliquas laudes & vituperia, aliquas venia & commiseratio excipiunt, fontes ostenderet.

10. Sunt autē ea, de quibus in præsentia sermo est, principia; τὸ ἐκείνοι, καὶ τὸ ἀκείνοι, spontaneum vulgo, & inuitum, è quorum alterutro actiones oriūtur, quarum illæ quæ ex priori sunt spontè fieri; hæ ex posteriori inuitè susceptæ esse dicuntur.

11. Nec moramur hac in re eorum aliquot, qui olim ex hoc loco, Errorem scripturæ sacræ contrarium commenti sunt, (sanioribus nunquam contra hæc disputatum fuit, vt multorum de his honorificentissima passim ostēdunt testimonia) ieiunos & insulsos clamores, qui cum non intelligerent, aut certè intelligere noluerint, philosophi locum, vt hæreticum, totiq; Theologiæ pestiferum accusare non fuerunt veriti.

12. Ethicum hic informat philosophus hominem, non christianum, qui iuxta virtutem, in cuius prudenti actione, actionisq; constanti perseuerantiâ, complementum quærat, perficiendus sit, non autem, quod sacrosanctæ Theologiæ soli debetur, saluandus.

13. Et sublato hoc, quod hic posuit philosophus, fundamento, nulla in posterum in statu suo manebit Respub., vel gubernatio politica, nulla societas, nullus legum, decretorumq; cultus, & auctoritas, poenæ etiam, præmiaq; nulli amplius rectè decernentur, vt ipse fatetur philosophus, & ex lib. de Repub. & Legib. Platonis satis patet.

14. Exorditur philosophus ab explicatione Inuiti, ex cuius cognitione τὸ ἐκείνοι vel quæ spontè fiunt facilimè cognosci & diiudicari possunt.

15. Definit autem ἀκείναι τὰ βία ἢ δι' ἀγνοίας γινόμενα; agere inuitè est operari vel vi coactum, vel per inscitiam, adeò

vt inuitè agere dupliciter contingat, vt è definitione manifestum est.

16. Βίαιον seu violentum est ἢ ἡ ἀρχὴ ἐξωθεν, cuius principium est extra, atq; eiusmodi vt nihil afferatur adiumenti ab eo, à quo, & in quem transit actio, vt si quis vi venti, aut fluuiorum impetu aliquo delatus fuerit.

17. Violentum tale fuit vt explicauimus, simpliciter & absolutè; quod autem vt mala maiora vites, committis, cum sponte tua facere non videaris, vtrum violenta vel spontanea ea ipsa actio sit, ambigi poterit.

18. Quia vero in eiusmodi tam id quod per vim, quam quod spontè susceptum est, locum habere videtur, puræ & simpliciter tales actiones illæ nominari minimè poterunt, siquidem ad definitiones violenti & inuite factorum eiusmodi relatæ actiones, minimè cum illis conueniunt, vt nec ad ea quæ spontè suscipiuntur, hæc enim aliquis sui iuris, suiq; arbitrii, & omnino liber facit.

19. Quocirca Mediam quandam rationem inter ἀκρίστον, & ἐκρίστον habebunt, & proinde quia simul vtrunq; respiciunt, diuersimodè tamen, Mixtæ actiones dicentur, sed eis quæ spontè aguntur similiores esse videntur.

20. Agere enim spontè dupliciter contingit, vel absolutè, & simpliciter vel pro aliquo tempore, occasione, & conditione; in quibus omnibus probè, ritèq; discernendis refulget prudentia.

21. In mixtis quidem actionibus ea quæ sunt, absolutè sunt mala, & cognoscuntur vt mala, ideoq; non absolutè fiunt spontè, sunt tamen minus mala præ illis, quæ per hæc vitantur. Iure igitur dicuntur bona eo respectu, & præeliguntur tum, sponteq; fiunt tunc, & pro ea occasione; siquidem minus malum, vt vulgaris habet aphorismus, cum deteriore comparatum, obtinet vicem boni.

22. Et

22. Et quod spontè magis fiunt intentio seu finis illius qui id ipsum facit, maximè probat, sunt enim optabiles & eligendæ tum cum aguntur: actiones autem eiusmodi secundum temporum circumstantias mensurandæ sunt.

23. Tum quoq; non parum & hoc inde euincitur: quia in illo qui hoc modo agit partium mouendarum earû, quæ instrumentorum locum obtinēt, in huiusmodi actionibus, principium est: quarum autem rerum in aliquo sunt principia, earum quoq; vel agendarum, vel non agendarum penes eum potestas est.

24. Tandem inuita nemo laudat, vel vituperat, eiusmodi autem actionum laus est & vituperium, cym enim magnarum & honestarum rerum quis turpitudinem aut molestiam aliquam subierit, laudibus effertur: sin aliter fecerit vituperatur; nam res difficiles nullius honestæ aut mediocris rei gratia sufferre velle, hominis improbi est.

25. Deinde aliæ sunt actiones, quas hoc modo definit philosophus; quando aliquis ea facit quæ facienda non sunt, & contra quàm decebat, ijs rebus perculsus, quæ humanam naturam superant, quasq; nemo perferre queat; hoc modo agentem laudem non sequi, solummodo veniam huic dandam esse affirmat.

26. At qui tormētis exquisitissimis alijsq; pluribusquæ humanam patientiam vincunt, ad parricidium, patriæ proditionem, religionis abnegationem, aliaq; horrenda scelera adactum se fateatur, non modò non vituperium, sed & extremam apud omnes execrationem merebitur.

27. Atq; ita eiusmodi actiones propius ad id quod spontè suscipitur accedere videntur, non autem ad id quod per vim fit, cum non foris vel extra principium agendi sit, sed præelectione adhibita in eo qui agat.

28. Et in his euentis ac discriminibus refulget prudentia, &

tia, & virtus hominum, & prudentes ab imprudentibus, probiq; ab improbis internoscuntur; difficile enim est iudicare quid pro quo sit eligendum, & duorum malorum quid sit minus malum: rectè enim iudicare viri prudentis est, in sententiâ autem, verâ firmiter persistere, viri probi & sinceri.

29. Dubitationem addit philosophus, de ijs, quæ iucunda sunt; cum enim à pulcro obiecto tam vehementer pleriq; incitemur, adeoq; extrinsecus rapiamur, vt obistere ei haud facilè queamus; iure aliquis ambigere posset, an violento modo seu inuitè hoc ipsum fiat.

30. Soluit autem hoc dubium Aristoteles per duplex absurdum, quorum prius est; concesso, iucunda esse violenta, sequeretur omnia esse violenta, iucundorum enim gratia agunt omnes omnia; posterius, violentum sequitur dolor, iucunditatem vero voluptas, quod falsum esset si iucunda dicerentur violenta; ridiculum etiam erit, inquit philosophus, res quæ extra sunt potius accusare, quam seipsum qui à talibus facilè capiatur.

31. Explicato iam primo modo quo Inuitum quid dicatur & fiat, nim: per violentiam; restat vt & alterũ quoq; modum qui fit per *ἀγνοίαν* explicemus, huius enim, vt & superioris in definitione *τὸ ἀνίσχισ* facta est mentio.

32. In huius modi, qui per inscitiam fit, explicatione, ante omnia distinguendum esse videtur id quod per inscitiam, & inscien-ter fit, quia enim inde lux reliquis dependere videtur, primò quid per inscitiam, tum quid inscien-ter fieri dicatur, considerandum erit.

33. Agere autem per inscitiam dicitur, quando ipsa inscitia eorum quæ agimus primaria causa est; Inscien-ter verò agere fit ex corrupto affectu mentem perturbante, ita vt in mente vitium, causa sit deceptionis; & alias circum-stantias,

stantias, ob quarum vicissitudines, is qui agit, inscius agere dicitur.

34. Non autem omnis Ignorantia constituit *ἀκρίσιον* siue Inuitè factū, tripliciter enim consideratur illa ignorantia: Prima quidem est ignorantia eius quod expedit & conducit pro assequendo fine: secunda ipsius vniuersalis: tertia circumstantiarum actionis.

35. Prima illa Ignorantia quia in consilio versatur, non facit inuitam actionem, sed improbitatis causa est, neque etiam rerum vniuersalium illa ignorantia, nam & hæc vitio datur: sed singularium, in quibus omnis actio versatur: jus enim omnibus debet esse notum, facti autem potest esse ignorantia.

36. Quia enim particularis ita dicta ignorantia, circumstantiarum mutationibus exposita est, ad quas pertinent, Is qui agit; quod agitur; in quod agens agit: quo instrumento; quomodo; cuius rei gratia &c. dum aliquis vnam earum vel plures ignorat per inscitiam dicitur, & proinde inuitè agere, si actionem cognitam dolor, eumque qui egit subsequatur poenitentia.

37. Vt si quis in acie filium, quem hostem existimabat, interficiat; aut arborem deiecturus astantem feriat; aut telo quod obtusum putabat amicum confodiat; hoc modo agens misericordiam apud plerosque meretur, propter circumstantiarum ignorantiam; & hæc inuitè facta dicitur actio.

38. Hinc liquet, cognitio ijs quæ inuitè fiunt, quod ipsum sit *ἐκρίσιον*, siue vt vulgo dicitur spontaneum, nimirum cuius *ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἶδεν τὰ κατ' ἑκάστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις*, cuius principium est in eo qui agit, non ignorante res singulares, in quibus versatur actio.

39. In calce huius disputationis de *ἀκρίσιῳ καὶ ἐκρίσιῳ* monet

B

net

net philosophus de ijs, quæ aut irâ aut cupiditate fiunt, an illa inuitè an verò sponte facta dicantur; tuetur autem spontè fieri talia contra sententiam Platonis, qui mediam quandam rationem hæc habere dicit inter ea quæ inuitè, & quæ sponte fiunt, dialogo de Legib. nono.

40. Rationes Aristotelis hæc sunt. Prima, quia tum nullum cæterorum animantium spontè ageret, imò nec pueri nec feræ, quæ solis ducuntur perturbationibus. Secunda, quia si honesta quæ perturbatione fiunt spontè fieri dicuntur, turpia eadem ratione spontè fieri negari non potest, cum vtrorumque idem sit principium. Tertia, quia nonnulla quæ fiunt ira & cupiditate à principio rectæ rationis consentaneo fiunt, ob aliquas enim res irascendum, & honesta cupienda. Quarta, quia inuitè factum sequitur dolor & molestia, cupiditatem voluptas. Quinta, quia vtraque peccata tam quæ à ratione, quàm quæ ab ira fiunt fugienda sunt, simulque ex principio, quod internum est, procedunt, à quo inuitum dici nil potest.

41. Proposito iam eorum quæ spontè & quæ inuitè fiunt, discrimine, proximum est vt quid proæresis siue præelectio sit, quam nos consilium dicimus, videamus, hæc enim omitti non potest propter summam, quam in actionibus informandis habet necessitatem, adeò vt ab ea potius, quam ab actionibus mores diiudicari soleant.

42. Primo enim mens absolutè rem intuetur & iudicat; secundo sub ratione boni; tertio voluntas cuius obiectum est ipsum bonum id apprimè vult; quartò vis illa consultatrix in inueniendis medijs ad acquirendum illud bonum occupata est; quinto ipsa proæresis siue præelectio, tanquam consiliarius prudens & curiosus, id, quod consultatione constitutum erat, & reliquis omnibus antepositum, præeligit.

43. Itaq;

43. Itaq; ἐκείνου μὴ φείνεται ἢ περὶ αἰτίας, spontaneum quidem apparet esse consilium, illud tamen hoc latius esse ostendit dupliciter; primò enim spontè factorum & pueri & feræ sunt participes, non autem eius quod consultò fit: tum quæ repenti suscipimus spontè, non autem consultò suscepisse dicimur.

44. Qui autem περὶ αἰτίας aut cupiditatem, aut iram, aut voluntatem, aut opinionem aliquam dicunt, admodum eos labi contingit, cum consilij ratio ab omnibus hisce planè diuersum quid esse appareat, nedum cum vno aliquo horum conueniat.

45. Cupiditatem non esse proæresin liquet; cum illa homini cum brutis communis, hæc soli homini peculiaris sit ac propria; tum incontinens solius cupiditatis impulsu, ductuque fertur; continens autem omnis consilio agit, & rationi quæ cupiditatibus resistit obtemperat; item in nonnullis contrariatur proæresis siue consilium cupiditati, cupiditas autem cupiditati quomodo contraria? Præterea proæresis illud tantummodò quod bonum est profequitur: cupiditas vero eorum est, quæ iucunda, & aliquãdo cum molestia coniuncta.

46. Iram esse nemo est qui affirmet, cum hæc rationem iuxta Senecam transfiliat, & secum quasi rapiat, consilijsq; & rebus agendis secundum philosophum planè inimica sit; quæcunq; autem nec consilium, nec modum habent vllum, ea consilio regi non possunt.

47. Voluntati licet cum proæresi quædam sit cognatio, vtpote quarum vtraq; præsupponat mentis cognitionem, & in bonum feratur; pluribus tamen hæc ab illa distinguitur; primo enim proæresis non est τῶν ἀδυνάτων, horum autem est voluntas; tum consilium est eorum quorum agendorum in nobis potestas est; voluntas autem etiam eorum

quæ non sunt nostri arbitrij, vt quando volumus hunc vel illum athletam ab illo superatum; tandem voluntas est finis; proærefis autem eorum quæ ad finem, volumus esse sani ideo præeligimus, & consultamus de medijs; ὅλως γὰρ εἰσμεν ἢ προαίρεσις πρὸς τὰ ἔφ' ἡμῖν εἶπαι.

48. Opinionis vocabulum admodum incommodum est & inconueniens, non modo enim circa res agendas versatur, verum etiam circa ea quæ aliquo modo cognoscuntur; tum opinionis sunt verum, & falsum; bonum autem & malum consilij; præterea propter veram aut falsam opinionem nemo dicitur bonus aut malus, sed propter electionem, & captum consilium; opinione postea res tantum cognoscuntur: consilio autem peraguntur & administrantur; deniq; opinio est etiam eorum quæ nondum nota nobis sunt; consilium autem tantum in cognitis versatur; postremò falsum est, quod qui optimam teneat opinionem optimus fit, & optima quoq; seligat.

49. Quocirca cum ostendimus hætenus quid consultatio non sit; consequens nunc est vt quid ipsa tandem sit innotescat; spontaneum diximus supra esse, consilium, non omne tamen quod spontè fit sub consultationem cadit, sed id tantum de quo prius consultatum fuit; ipsa igitur consultatio inspicienda.

50. Non autem omnium rerum est consultatio, de æternis enim nemo est qui consultat, neq; de ijs quæ perpetuam necessitatem habent, vt sint sc. de naturalibus; neq; etiam de ijs quæ fortuita sunt; imò nonnullæ actiones hominum è consultatione eximuntur, vtpote quæ per nos non valeant administrari; comprehendit autem ea omnia consultatio in quibus nostrum valet arbitrium & potestas; quæq; non semper eodem modo contingunt, cum eorum exitus incertus sit, & in quibus nil definiti.

51. Por-

51. Porro consultamus non de finibus, sed de ijs quæ ad fines pertinent; neq; enim medicus an sanare velit deliberat, sed omnes certo sibi fine proposito, quemadmodum, & quibus mediis eum assequi possint, cogitant; & si difficultas & quædam obrepserit incommoditas, quomodò commodissimè id fieri possit, inspiciunt; sic neq; de rebus quæ sensu iudicantur, nemo enim consilium capit an nix alba sit, an ignis urat.

52. Cum igitur id de quo consilium capitur sub deliberationem & appetitionem cadit, & sit ex earum rerum numero, quæ in nobis sitæ sunt, consilium siue proæresis erit earum rerum quæ in nostra potestate sunt appetitio, ex consultatione proueniens; facta enim de re iusta consultatione statim sequitur appetitio.

53. Circa finem de principijs virtutum, duo quærit philosophus, quorum vnum est; an bonum reuerà, an verò apparens sit obiectum voluntatis; quorum hoc vulgi, illud sapientum esse asserit, cuiq; deniq; hoc quod sub cuiusq; voluntatem cadit; alterum, an omnis spontè fiat improbus, in qua quæstione contra sententiam Platonis negatiuam, suam affirmantem satis neruosè tuetur.

QVAESTIONES.

I.

An omne peccatum Ethicum sit voluntarium.

II.

An ars secundum philosophum deliberet.

III.

Quid statuendum sit ex hoc loco de ijs, qui à latronibus vitam precio redimunt, & iuramentum præstitum hoc modo soluant, an potius soluendum promissum, an violandum iuramentum.

B 3

IOAN.

IOANNI AESCHARDO RESPON-
denti, amico optimo S.

Musarum Charisinq, amor decusq,
AESCHARDE, & Sophiæ probatoris
Perpes æmule, fontibus quam ab ipsis
Hauris limpidiusculis abundè,
Priscorum Sapientiæ Magistrum,
Spretis aridioribus lacunis:
Gratatum veniunt tibi Phaleuci,
Nostri hi horridiusculi Phaleuci,
Quòd sic ingenium sacraستي honestis
Artibus, studijsq, sic polijsti,
Ut descendere publicam in palestram
Ausis, ac facere ingenij periculum:
Quodq, haud argutulas leuesq, promis
Nugas è trivio, solent inanes
Quas fumi crepitare venditores.
Verum ipsam sophiæ Ethicæ subintrat
REGIAM, is quam opifex & Architectus
Struxit, qui quod ad OPTIMUM reduxit
FINEM almam sophiam, hisce nomen aptè
Congruens meritis gerit stupendis.
Maeste, AESCHARDE, animo, tibi parantes
Iam Musas video novas corollas.

Petrus
Ruthanus Laurentius Finland.

nd.



57012

ABI 57012


ULB Halle 3
002 055 449



Sb.

VD 77







№ 40

№ 40





15954



Theses Ethicae

Περὶ τῶν ἀκυσίων, ἐκυσίων, καὶ μίχτων, DE ACTIONIBVS INVITIS, SPONTANIS & MIXTIS, COMMUNISSIMIS & GENERALISSIMIS VIRTUTUM OMNIUM PRINCIPIJS, IUXTA INSTITUTUM PHILOSOPHI IN 3. ETHICORUM AD NICOMACHUM.

Quas

D. O. M. A.

& Preside

M. CORNELIO MARTINO ANTVERPIO, PROFESSORE LOGICES PUBLICO, IN ILLUSTRI IULIA, AD DISPUTANDUM PUBLICÈ PROPOSUIT,

IOHANNES AËSCHARDUS HALBERSTADENSIS MENSE SEPTEMBRI.

In auditorio maiori hora 6.

79



HELMAESTADII.
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCV.

